

so quid conficis in tuo argumento, quæ uis tuæ huius rationis: humanum corpus afficitur à uis Cometæ elementari, ergo animus, occulta perniciæ: Neque est. N. in Cometa uis latens: & ut insit, latebunt eius effectus, & nullus unquã id scripsit: nihil ergo efficis colligens ex uis aperta, occultæ uirtutis perniciem. Transis. n. à corpore ad animum, à re corruptibili, ad incorruptibilem & immortalē naturam. De sorte hætenus.

Oraculum videtur esse, non philosophi uox, nullum Cometā sine grumnis fuisse. Illud affirmas pro certo, de quo magna contentio est, & quod esset probandum, id ipsum pro exploratissimo habes. Et hoc loco cum Astrologis nonnullis pugnas, qui uolunt interdum Cometam fælicem esse, quod si accidant, post Cometas mala grauissima, ecquis tibi hoc dabit, has ærumnas esse uerè ac necessariò ab ipso Cometa? Videmus enim quotannis quibusdam in terris, omne mali genus, nullo etiam Cometa uiso. Neque ego minus de fulmine, quàm tu de Cometa cõtendam. Bellum, pestis, fames, post uisum fulmen fuerunt, ergo à fulmine ista profecta sunt. Verum non disserere, sed insanire hoc esset. Quare si placet, muta opinionem.

*Plinij seculi defensio*

Iam non tantum audes, in uniuerso genere uersari, sed ad singula descendis. censuit antiquitas, Augusti Cometam fuisse faustissimum. Tu negas, & Plinium spernis, grauissimum scriptorem & integerrimum, & eam rationem affers, quæ ratio nulla est, dicis enim ut hystoriæ docent, Plinius tantæ autoritatis uir, qui illa omnia uel audiuit, uel uidit, qui plura etiam earum rerum tractauit, mundo Cometam illum gratulatur. Tu uerò post mille quingentos annos, infaustum dicis, & euentum nullum subijcis infælicem? Omnes in eo consentiunt scriptores fælicissimum fuisse Augusti seculum. Nunquam fuit maior ingeniorum, atque literatorum libertas, nunquam ampliores Imperij Romani fines, nulla tam certa pax tãque

que